



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regale Sacerdotivm

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. 15. Sacerdotes ieunent, & cilicium gestent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54698](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54698)

hoc quippe ad corporis sanitatem non parum conducit. Sanctis hisce decretis insistentes Sacerdotes, modestiam & frugalitatem in victu præferant, dissolutiones porro & comestationem fugiant, nec rationis limites transhiant.

Ad frat. de monte Dei. Delicati cibi non quærendi.

Hinc de sobrietate sermoni finem imponens Bernardus ait, *De condimentis sufficiat obsecro, ut comestibiles fiant cibi nostri, non etiam concupiscibiles vel delectabiles.* Hoc vobis norma sit Sacerdotes, curiosa relinquite, sobrietatem sectemini, delicias fugite conuiuia deserite, epulas, & mensas regificas auersemini, culinas vncas deijcite, & mediocritatem & temperantiam debitam, quotidianamque in mensa ostendite.

CAPVT XV.

Sacerdotes ieiunent, & cilicium gestent.

Ieiunij encomia.

Basil. homij. h. di. ieiunio.

Quotquot de ieiunio scripsere, luculenta illi encomia epithetaque dederunt; est enim ieiunium, animæ optima custodia, corporis habitatio secunda, fortibus viris munimentum & arma, sanctorum militum clypeus, athletarum & certantium exercitatio: dixerunt ieiunio tentationes fugari, ad pietatem mentem excitari, sobrietatis id comitem esse, temperantiæ magistrum; per ieiunium in pace quietem, in conspectu & bellis fortitudinem dari; per ieiunium denique Nazarenos sanctificari, Christianos illustrari, Sacerdotes perfici, ac sine ipso nefas esse ad sacrificium accedere. Atque hinc efficere volo, tunc Sacerdotes & perfectos & beatos esse, cum ieiunio membra domant, sanctaque se macerant abstinentia.

Ieiunij effectus.

Ieiunium, ut ait S. Augustinus sermone de ieiunio, purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subijcit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscetia praua nebulam dispellit, libidinis formam

tem exstinguit, castitatis splendorem & pudoris radios emittit. Ieiunium igitur diligite Sacerdotes, mundum habere cor, sensus compositos, corpus spiritui subiectum, castitatem animi, & omnes venerorum desideriorum motus sopitos velitis.

Est quidem, ait S. Petrus Chryfologus, vitiorum mors, vita virtutum, pax corporis, membrorum decus, ornamentum vitæ, robur mentium, vigor animorum, castitatis murus, pudicitæ vallum, sanctitatis arx, meritorum schola, & salutare viæ Ecclesiasticæ viaticum. Vnde concludo, vos, si ieiunio vos applicetis, internè pacem, victoriam de peccatis, in virtute gloriam, in actionibus meritum, & in tota vitæ serie honorem habituros.

Idem quoque alio loco ait, ieiunium scimus esse Dei arcem, Christi castrum, murum spiritus sancti vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum. Egregia profecto encomia, luculenti tituli, Sacerdotes. an non igitur ieiunium diligetis, an non abstinentiam exercebitis?

Discimus è libro Iudith, in obsidio Betuliensi, summum Sacerdotem Eliachimum, & omnes qui sacrificijs vacabant, quo furorem diuinum auerterent & Holofernus conatus ad nihilum reducerent, ieiunio se dedisse. fassisque & cilicijs membra accinxisse. Etiam si qui offeriebant Domino. Heroicū est & laudabile, imo expediens & maximum necessariū, ad diuinā iracundiā auertendā, & inimicorum impetum retundendum Sacerdotes ieiunio sese macerare, cilicia induere, & omnes penitentia actus facere.

Ego autem, ait de seipso Psalmographus cum mihi molesti essent inimici, & aduersariae acies

S 4 impor-

Serm. de ieiunio & electione
mos.
ieiunij
laudes.

in quodam

Sacerdotes
in tempore
belli ieiunent & cilicium gerant
Iudith. 4^a

Psal. 134^a

Cilicium
& ieiunium
Sacerdoti
impri-
mis neces-
sarium.

importunius me invadere conarétur, induerem cilicio, & vili membra sacco cooperiebam. Ad regis huius exemplum, cordati Sacerdotes, cum caro, mundus, ac dæmon insolentius agere & mouere lacertos incipiunt, ad ieiunia velut ad asylum confugere, & cilicio membra reluctanti constringere debetis.

Ibid.
Ieiunium
ad reges
humilian-
dos & Sa-
cerdotes.

Humiliabam in ieiunio, ait idem Propheta, *manum meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur.* Regalis, vobis Sacerdotes instructio, scilicet ad vos humiliandos ieiunijs esse opus & sancta pietatis exercitia. clanculo peragenda.

Oratio
bona cum
ieiunio.

Bona est oratio, ait Angelus Raphaël apud Tobiam *cum ieiunio.* Hinc inferte, Sacerdotes esse vobis ieiunandum, si preces vestras esse vultis efficaces.

Tobia 12.

Talis ora-
tio inimi-
cum pro-
figat.

Iosaphat Rex Iuda cum iam iam manum cum hoste esset conferturus, & non mediocriter timeret videns inimicorum aciem antese constituta, *rotum se contulit ad rogandum Dominum & praedixit ieiunium vniuerso Iuda;* hisce armis munus victoriam de hoste reportauit, deque Ammonitis, Moabitisque regni sui inimicis triumphum egit. Notabile & admirabile exemplum, ad inimicos debellandos, peccataque profliganda ad D B V M esse recurrendum, eius opem implorandam, orationesque nostras ieiunio stipandas.

Eliachim
Betulien-
ses ad iei-
unium in-
uitat.
Iudith, 4.

Magnus Pontifex Eliachim Betulienfes metu Holofernis Principis percussos, hisce verbis ad animos concipiendos adhortatus est: *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si mementes permanseritis in ieiunijs, in orationibus in*

in conspectu Domini. Satanas noster Holofernes est, sacerdotes, & ipse Eliachimi personam hic agere volo, vosque adhortari, si in ieiunio & precibus constanter perseveraueritis, Deum preces vestras exauditurum.

Scriptum in sacris Litteris est, Estherem reginam pro populi sui salute liberationeque Deum deprecaturam, vestibus se regijs spoliasse, & lumbos feraleaque econtra induisse, ieiuniisque corpus humiliasse. Vestrum est, Sacerdotes omnitempore orare, proque Christianorum incolumitate Dominum deprecari, vestrum quoque est indumenta superba pretiosaque exuere, quo vos sacco cooperiatis, cilicium induatis, ieiuniisque membra & inedia affligatis.

Esther ieiunando se humiliavit. Esth. 14.

Tantam, ait Regius Propheta, poenitentiam feci, tam crebris me ieiunijs maceraui, ut genua infirmata sint, & exangue & exsiccum corpus traham, Hoc imiramini Ecclesiastici, templis dedicati, toties inquam ieiunetis, caro ut debilitetur & labet, Spiritus vigorem & robur assumat, prave concupiscentiae edomentur, membraque humilientur, ac totum corpus id persentiscat.

Psal. 108.

Daniel in Babylonico carcere pro populi salute Deum exorans, ait se posuisse faciem ad Dominum, rogasse & deprecatum esse in ieiunijs, sacco & cinere. Mundus hic locus quidam captiuitatis & carcer est, Sacerdotes vero Danieli nostri sunt, horum est pro populo deprecari, sed cum ieiunio, & coram Deo se prosternere lacrymabundos, sacco membra coopertos & cineribus caput conspersos.

Daniel ieiunans orabat. Dan. 9.

Sacerdotes & lugent & ieiunent super fidelibus mortuis.

David omnesque Principes & habitatores Iuda & Israel, audito Saulem regem, cum omni



3. Reg. 1.

elitica nobilitate occubuisse, totque viros bellatores miserè in bello hostili gladio concidisse. Planxerunt & fleuerunt & ieiunauerunt vsque ad vesperam super Saul & super Ionatham filium eius, & super populum Domini, & super domum Israel. Quotidie tot strages, tot clades, tot regiarum animarum iactura, tantæ nobilitatis ruina, tot magnatum perditio mors & peccatum tot in hoc mundo audiuntur. Porro Prælatorum est, imo omnium Religiosorum, hic lacrymari tam tristi audito nuntio ingemiscere, & ab aurora ad vesperam vsque pro regibus ac Principibus, pro populo Dei, proque vniuersa Ecclesiæ domo ieiunare.

Zoe. 2.

Deus suos ad ieiunia & lacrymas hortatur.

Nunc ergo, dicit apud Ioelem Dominus, conuertimini ad me, peccatores, à vitijs discedite, ad me accedite, in toto corde vestro, in ieiunio & fletu, & in plañctu. Ad Sacerdotes hæc imprimis communitio spectat. Recedite igitur, sed quàm fieri potest citissimè, imo & hac hora ab inquinamentis vestris, & conuertimini ad Deum, cor illi vestrum offerte, corpus austeritate emacerate, suspirijs pectus disrumpite, & lacrymarum flumines oculi madescant.

Niniuitæ per ieiunium salutem & veniam adepti.

Rex Niniuitarum & omnes eius Principes, Ionæ interminationibus auditis, quò diuinum flagellum ab vrbe, & fulmina damnationis à certibus suis auerterent, generale per vniuersam urbem ieiunium indixere, vt non homines modo sed & iumenta à cibo abstinerent; atque ita factum est vt & calamitatem imminentem effugerint, & propitium Deum inuenerint; Homines & iumenta & boues & pecora, non gustent quicquam nec pascantur, & aquam non bibant. Allegorice historiae huius sensus est, Sacerdotes & Prælatos

Ion. 2.

Deus aduersus populum suum exacerbatus
 iustitiæque suæ fulmina euibrare paratus, qui
 ecclesiæ Dei à consilijs sunt ieiunia indicere, ad
 penitentiam adhortari, cilicia, ad aliorum ex-
 emplum induere, & à cibo abstinere debere; at-
 que hoc verum & vnicum diuini furoris auer-
 tendi, animarumque salutis parandæ medium
 est.

In Euangelio S. Marci discipulis suis ait Do-
 minus, *Hoc genus demoniorum non eijcitur nisi in
 oratione & ieiunio.* Sacerdotes dæmonum fugan-
 dum, eijciendorumque malignorum spirituum
 potestatem habent; at sciant hoc sine orationis
 & ieiunij adminiculo fieri non posse. Ieiunium
 quippe dæmonum toxicum ac virus
 est.

Ieiunium
 necat dæ-
 mones.
 Marc. 9.

Nautæ qui Ionam vehebant, quò se & nauem
 discrimini eriperent, nauem exonerarunt, om-
 nesque merces eius alleuandæ causa in mare deie-
 cerunt, *Et timuerunt nauæ, & clamauerunt viri
 ad Deum suum, & miserunt vasa, quæ erant in nauis
 in mare, vt alleuiaretur ab eis.* Mundus hic mare
 quoddam est, Ecclesia nauis, tempestates vitia,
 nauigantes ipsi fideles, Sacerdotes nauæ. Vel
 potius, corpus hoc nostrum Oceanus est, anima
 nauis, passiones venti, religiosus nauta; vt igitur
 hic cura sit nauigatio, naufragium euitetur, tem-
 pestates quiescant, ac redeat maris malacia, na-
 uis exoneranda est, id est, corpus ieiunio
 exhauriendum, caro hæc delicijs priuanda,
 voluptates euacuandæ, omnia enim hæc nauem
 onerant & magis magisque depri-
 munt.

Ion. 1.

Anima vt
 tutò nauig-
 get, corpus
 euacuan-
 dum.

Daniel

Corpus
nostrum i-
dolum est
cuius sacri-
fici mun-
das & dæ-
mon

Dan. 14.

Daniel Propheta sacrificulorum Beli impos-
ras detexit, atque hoc idolum evertit, cibos appo-
ni clanculò solitos subtrahens, fanumque eius
cineribus conspergens, *Præcepit Daniel pueris suis
& attulerunt cinerem, & cribrauit per totum tem-
plum coram rege.* Corpus hoc Religiosi, idolum
quoddam est, diabolus autem & mundus illius
ministri & sacrifici, quorum si versutias & reb-
nas detegere volueritis, hocque idolum pedibus
substernere ac conculcare; cibi illi subtrahendi
sunt, cilicium ei imponendum, & cineribus con-
spergendum.

Concupis-
centia i-
gnis inex-
tinguibi-
lis.

ad Helio-
dor.

Flamæ extinguendæ, iuxta métem S. Hierony-
mi, & incendij compescendi, non melior supple-
tit ratio, quàm lingua subtrahere & fomenta au-
ferre. Concupiscentia nostra Sacerdotes, inces-
dium quoddam est, ignis est, Aethna est, & nunti-
conflagratio, quæ omnia in hoc corpore destruit
ac deuastat; cibi fomenta sunt, passiones sum-
vitia verò flamæ. Ad hos igitur ignes extinguen-
endos, nullum melius occurrit remedium, quàm
nutrimenta & fomenta subtrahere, id est cibum
minuere, diætam sectari, ieiunium obseruare &
pœnitentiam agere.

Inimici se
dedunt de-
ficien-
te comen-
tu.

Diez in sum-
ma.

Solent inimici obsessi vtrò se dedere & obse-
dentis beneuolentiam ambire, cum commeatu
inferendi ijs via intercluditur & cū rerū penuriam
conflictari incipiunt: mundus, caro, Diabolus in-
mici vestri iurati sunt, Sacerdotes; cibi, eorum
cōmeatus sunt, qui mox vt auferuntur, cū ieiunij
premuntur, nihilque quod comedant inueniunt,
quamprimum iussa & imperata faciunt, principi-
se suo subijciunt, caro rationi obtemperat, cor-
pus animæ, omniaque deia hæc Deo supremo
Monarchæ.

Filius

Filius ille prodigus paterna domo egressus & *Lac. 5.*
 longinquam profectus regionem, quam diu ha-
 buit quo ventri gulæque satiffaceret & cum me-
 ritis comessaretur licentius, nullo in patri-
 am reuertendi desiderio tenebatur, nec delicto-
 rum commissorum eum sollicitudo cruciabat: at
 ut se necessitate pressum vidit, fame propemo-
 dum enectum, & miseris circumuallatum, ocu-
 los aperuit, malum in quo versaretur perspicuens
 propositumque fecit in patriam reuertendi, do-
 mum paternam adeundi, veniæ petendæ, & mise-
 ricordia deprecandæ, *In se autem reuersus, dixit,*
Quanti mercenarij in domo patris mei abundant pa-
trius, ego autem hic fame pereor, surgam, & ibo ad pa-
trē. Mythicum Parabolæ huius sensum expositu-
 rus, dico, Sacerdotes, sæpe vos prodigos agere
 volique à Dei patris illius cælestis cultu obsequi-
 oque abstrahendo in longinquam mundi regio-
 nem secedere, in qua quam diu ridendi, comessan-
 di, consortiaque frequentandi suppetit materia
 & occasio, numquam vos de ad benignum Deum
 reuertendo, domum vestram repetendo, officij-
 que vestris incumbendo cogitare; atque si cor-
 pus hoc durius tracteris, si fame emaceretis, si
 delicias subtrahatis, si quadragesimale illi iei-
 unium imponatis; morigerum mox, obediens, &
 delictorum poenitentia doloreque tactum vide-
 bitis, atque tunc mundi deserendi & ad patrem
 clementissimum, misericordia deprecandæ caus-
 sa redeundi animum concipietis.

Fame
prodigum
ad patrem
compulit.

Herba
quædam
quæ in te-
ra fertili
emoriat-
tur in steri-
li crescat.

Essere fert apud Antipodas herbam Plinius,
 quæ in sæcundo, feraci fertilique consita solo,
 emoritur, coloremque & viuacitatem amittit,
 sed in deserto, arenoso, sterilique quamprimum
 virorem vigoremque assumit & crescendo luxu-
 riatur.

Matth. 3.
 Qui ieiunant, beati sunt.

2. Cor. 6.
 Sacerdotes Paulus ad ieiunandum inuitat.

Sacerdotes sæpius ieiunent quam sæculares.

Dist. 4. c.
 Statuimus.

Sacerdos qui ieiunium indictum violat puniri mereat.

1. Reg. 14.

Ambros.

serm. 25.

Quid sit verum ieiunium.

riatur. Anima vestra, Clerici, cæleste quoddam me est, quæ in pingui voluptatû agro confusa, successit, perit, vitalemque succum amittit: infertis verò locis pœnitentiæque arena plantata, sterilique & emarcido ieiuniorum terricom crescit, surgit, & mirabile incrementum sumit. Hæc scilicet ei terra placet.

Beati, inquit apud Matthæum Dominus, *nunc esuritis, quoniam saturabimini*, beati quidem in vita ieiunatis, quia in altera voluptate potabimini. Beati haud dubiè vos Religiosi in hac mortali vita, si ieiunium colueritis, famemque in Dei obsequio toleraueritis, nam merces vestra in cælo ampla & laeta erit.

In omnibus, ait ad Corinthios Apostolus, *exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in ieiunijs*. Is verò egregio Sacerdote nomine indignus viuit, seseq; Christi ministrum non exhibet, qui ieiunio non incumbit, pœnitentiamque non agit.

Sicut discreta esse debet vita clericorum à laicorum conuersatione, ita & in ieiunio debet esse discretio, ait S. Papa Telesphorus. Id est, quemadmodum Sacerdotes ceteris viuere debent sanctius, ita quoque alijs ieiunent frequentius.

Jonathas Princeps iuuentutis Israeliticæ cum inscius paternum præceptum transgredereetur, die, quo Pater ieiunari præcepisset, cibos sumpsisset, ad mortem condemnatus est; seuera profecto sententia. Quid igitur Sacerdos merebitur, qui sciens volensque DEI sui præceptum transgreditur, atque ij imprimis, qui ieiunia indicta violant?

Ieiunium appello, ait Magnus Gregorius, cum

ubi sumendi hora non præuenitur, uti Ionathas
 præuenit: quâdo delicatiores epulæ nõ quæruntur, p. 3. *Past.*
 Hebræi; cum in coquendo non quæruntur in- *admon. 20.*
 dustria aut condimenta, ut filij Heli; cum super- *& moral. 1.*
 flua non ambiuntur ut Sodomitæ; deniq; quando *20. c. 13.*
 non omnia vilia comeduntur, ut profanus Esau.
 Hæc conditiones ieiunij obseruate Sacerdotes,
 & perfectè ieiunium seruaueritis.

Sacerdotes

Castianus, S. Basilius & Gregorius Pontifex hac
 de re agentes dixere, Sacerdotes ieiunium sed prout vires
 discretum & iuxta ætatem & vires commensura-
 tum exercere debere. *Generalis hic continentia mo-*
dos est, ut tantum sibi met cibi vnusquisq; concedat,
quantum sustentatio carnis, non quantum desiderium
ieiunitatis exposcit. Docere volunt, Sacerdotes in *monast. c. 5.*
 ieiunando discretos & prudentes esse debere, & *Lib. 20. Mo-*
 non amplius quàm corporis robur & vires per- *ral. c. 31.*
 mittunt, ieiunare.

Eandem opinionem secutus Hieronymus, ait,
 Tantum tibi ieiuniorum modum impone, quantum *Sacerdo-*
 ferre potes, noli quid vltra vires hic conari; ieiunia *tum iei-*
 tua pura sint, casta, simplicia, moderata, non su- *nia discreta*
 perstitiosa, non temeraria. Hinc discite Sacerdotes, *sint.*
 ieiunia vestra discreta, ab omni superstitione re- *Epist. 2. ad*
 mota & prudentiæ innixa esse debere. *Nepotian.*

His suffragator accedit Gregorius, duo dicens,
 scilicet, abstinentiæ virtutè nullâ esse, cum corpus
 non tantum quantum possumus castigamus; vel male
 illa ordinatâ esse cum nimia id abstinentia enecamus:
 per abstinentiâ quippe carnis vitia sunt extinguenda,
 non caro, aut corpus penitus occidendum. Dicere vult *Lib. 20. Mo-*
 quantum colligere quidè datur, Ecclesiasticos dis- *ral. c. 31.*
 cretionè & prudentiâ ieiunijs suis comites addere
 debere, itaq; abstinere, non ut corpus interimant,
 sed vitia extinguant & prauos appetitus fomites
 suppriment.

Tunc

Verum ieiunium quod fit, Isidorus lib. 2. de sumis bon. s. 44.

Tunc verum & perfectum ieiunium est, quando exterior homo ieiunat, & interior interim precibus incumbit: tunc enim oratio celos penetrat, cum ieiunium comitem habet; tunc quoque homo spiritualis penitus redditur, Angelis quae proxime accedit, liberiusque se cum Deo coniungit. Adhuc ut ieiunia bonis operibus stipata Deo gratissima sint; at qui a cibis abstinere, & vitam improbandam agunt, daemones imitantur, quibus esca non est, & nequitia semper est. E quibus omnibus concludo, Sacerdotes, tum animo tum corpore ieiunandum esse, atque a cibis abstinendo simul & a vitijs abstinendum: atque hic status est vitae religiosae.

CAPVT XVI.

Sacerdotes vigilent, quotidieque conscientiam examinent.

Dauid singulis noctibus vigilabat. Psal. 78.

David Rex virtutis & sanctorum exercitiorum studiosus quam qui maxime, regni negotia seponens de se ipso testatur, *Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar & scopebam spiritum meum.* si res negotijs pressi, & rerum quotidie in regni administratione occurrentium mole fatiscerent, conscientiae statum ita excutiebant, quid Sacerdotes procul a mundi turbine sequestrati, & a negotijs saeculi liberi, facient? an non illorum est facta cogitataque excutere, meditationi incumbere, vitam spiritualiter instituire, singulasque noctes vigilando orandoque traducere?

Psal. 118.

Idem quoque alio in loco ait, non modo de die tui recordatus sum Domine, sed memor etiam sum nocte nominis tui, & custodiui legem tuam; id est media